Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2283
Quelle:
Copyright:

rum redimere ſeu reemere pro ſumma precij et numiſmatis predictorum. Reſponſum ICti in favorem hujus Contractus ſacrae illae Virgines dein ad Theologum, et quidem *Haſelbachium* detulere, qui, licet ICti rationibus, *quas ſciolus me iudice non multo ſtudio adhibito diſſolueret*, non plene contentus, benigne tamen etiam de Contractu judicat. Incipit ejus Judicium, quod etiam e Cod. *Tirnſtein.* citatur in P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 157. *Religioſis ſororibus in Chriſto filiabus Petronelle Magiſtre ac Conuentui ſororum ad ſanctum Jacobum* &c. *Thomas de Haſelpach* &c. *Magnificat anima mea Dominum — dum conſidero vos timoratas et nil ſpeciem mali habens aut vicioſum contractum ſpirans in veſtris cenſibus pati velle* &c. Ubi eas etiam a neceſſitate praeſentis pecuniae excuſat, proſequitur: *Nam cum Auſtria que tunc multis diſſimulantibus ſic a predonibus eſſet infeſtata, vt in litore danubij ſibi ſpeluncas incaſtellarent, neque extra muros tutus erat locus, ſed et die et nocte accedentes et recedentes interciperentur, obnitentes captiuitati et morti ſubiciebantur, victualia ex omni parte wyennam adducere cupientes vna cum eisdem et ſuis iumentis aliorſum in direptionem trahebantur, nec erat qui has calamitates corde perciperet, niſi wyenna ſuis conſilijs et clamoribus corda quorundam excitaſſet, ſe ipſam in arma fortius erexiſſet non parcens expenſis et laboribus congruentibus, vt res publica ſaluaretur, quod et altiſſimo fauente obtinuit.* Quae lites *Alberti* Fratris, aut *Hungarorum* cum *Friderico* Imp. ob *Ladiſlaum* Pupillum ſpectare putem. Judicium ſuum ſubſcripſit *Haſelbachius Anno Domini 1454. Conuerſionis ſanctiſſimi Pauli die.*

VII. *fol.* 220. Ejusdem Diſſertatio epiſtolaris *Dilecto ſibi in domino Johanni Mauch paſtori Eccleſie in Buchſbayn Beatiſſime Virg. Marie Auguſten. dyoceſſis.* Tria Vir hic e Theologo noſtro quaeſierat: I. An Parochianis petentibus ſacra Hoſtia circum ſegetes et vineas geſtari poſſit. II. An poſſit portari ad loca igne conflagrantia. III. An liceat inſtituta ſupplicatione contra tempeſtates ad 4. mundi angulos legere 4. Evangeliorum initia et Exorciſmos facere. Ad omnia Tria reſpondetur: Nec licere, nec expedire, cumulanturque rationes in contrarium, praecipue a fine inſtitutionis Eucharistiae, et Superſtitionum periculo petitae. Multa hic generatim de omni ratione hujus Sacramenti, de variis Eccleſiae uſibus, de Curatorum Officiis, de diverſis Rudium Superſtitionibus, de Exorciſmorum praxi adferuntur ad cognoſcendum Liturgiae Germanicae Sec. XV. ſtatum opportuna, lectuque digna. Paullo rigidior tamen quibusdam videri poſſit Noſter. Expende v. g. quod ait: *In eadem dampnatione reor eſſe, qui figuras ſancte crucisin montibus altis et collibus conſtituunt credentes talia ſigna ab iſtis finibus repellere tempeſtates, qui tamen omnibus diebus vite ſue*